



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK  
IN WIEN

148663-B

ALT-





**148663-B**



137. U. SII.

*Q. D. B. V.*  
SELECTA  
JURIS NATURÆ  
*E T*  
GENTIUM,  
QUÆ

*Auctoritate Amplissimæ Senatus Academicæ  
Vacante Professione Juris Natur. & Philos. Moralis  
ad diem 31. Octobris 1727. h. 9. in Aud. Jurid.*

*publicæ disquisitioni submittit*

**JOHANNES THELLUSSON**

Philos. & J. U. D.

*RESPONDENTE*

*Adolescente præstantissimo*

**JOHANNE JACOBO ERZBERGERO**

Philos. Laur.



---

BASILEÆ,  
LITERIS PISTORIA NIS.

*Ordo Clarissim. Opponentium sorte  
lectorum.*

1. DN. PETRUS RYHINERUS,  
L. A. M. & SS. M. Cand.
2. DN. FRANCISCUS PASSAVANT,  
L. M. A. Juris Cultor.
3. DN. JACOBUS BRANDMÜLLERUS,  
Phil. & J. U. D.
4. DN. EMANUEL HESS,  
L. A. M. & J. U. Cand.



## §. I.

**C**um in nulla omnino scientia quis feliciter versari possit, qui non sollicitè simul & exactè omnia ejus membra distinguat, quò confusio in meditationibus evitetur, multum procul dubio interest nosse, quomodo unum ab altero differat. Si enim aliquid existit, quod judicium juvat, id sanè facit ordo à natura institutus, licet is aliquando, vel maximè simplex, sterilis & inutilis appareat.

## §. 2.

Atque nullius, quantum quidem novi, disciplinæ, difficilis videtur determinare & circumscribere Limites, quam verò Philosophiæ Practicæ. Nulla quoque est doctrina, quæ hominis tantoperè referat, quam verò illa Philosophiæ pars, quæ de officiis ad omnem Honestatem componentis tractat. Digna itaque hæc est materia, quæ accuratè perpendatur, & ad Certitudinem redigatur, antequam vel extremo digito, quis hanc scientiam attingat. Hoc quippe si negligitur, ignoramus ubinam terrarum sumus; An in Ethica? An in Theologia? An in Jure? An verò alibi versemur; Limites Scientiæ si nescis, nescies quoque ubi definendum, fugiet te, quæ questiones huc pertineant, & quæ in locum illi magis convenientem conjectiendas sunt. Quomodo autem Disciplina Juris Naturæ

ab aliis Scientiis illi affinibus differat, adeò intricatum & impeditum videtur viris Eruditissimis, ut quid sequendum potissimum sit, definire hi non audeant. Celeberrimus Hombergk zu Bach Professor Juris in Academia Marburgensi, acutissimus alias vir, dubitans in dubius suis Juris Naturae, quæ conscripsit, de finibus hujus Scientiae edifferit; Nemo verò mea Opinione felicius totam rem expedivit, quam illustris Thomasius, & qui eum secutus est Gundlingius, Vir omni Scientiarum genere præclarus, qui Principia Thomasiana magis adhuc illustravit, & explicavit.

### S. 3.

Existimo enim incassum laborasse omnes, qui sine Distinctione, quicquid de moralibus rebus docendum est, in unum compegerunt, & ut crassesceret Volumen sub Juris Nature nomine in Vulgus emiserunt; factum quippe hinc ut multæ & inextricabiles Quæstiones eoorirentur, ita ut plurimum moverent Doctores & promoverent partim, atqui ipsi Rationis Luminis maculam inferrent, Grotius ipse & Puffendorfius, Viri, quorum ætas non tulit pares, ex asse hac in re, uti fas erat, non satisfaciunt, & Limites debitos Juri Naturae non ponunt, & licet forte alter id circumscribat, illis non insistit, sed aliquando ultra eosdem progreditur, immiscens ea quæ tamen seorsim consideranda sunt.

### S. 4.

Philosophia Moralis, quæ secundum Excellentiam Philosophiae Practicæ nomen meretur, est illa Scientia quæ Mores informat. Hæc itaque & Ethicam & Jus Naturæ. & Po-

& Politicam & Studium Decori comprehendit, & omnes istas actiones pro objecto habet. Hæc generalis significatio Nomini, seu uti Scholaftici ajunt, sensus latus. Philosophia moralis strictè sic dicta versatur circa actiones honestas, quæ virtutem pro fundamento habent; Honestum scilicet Virtutis Studio absolvitur & intra animum residet, Virtus autem consistit in amore Dei, in amore sui ipsius & aliorum hominum & affectuum æquilibrio; Ergò sub honesti nomine, & Pietas, & Honestas strictius dicta, & Charitas comprehenditur.

## S. 5.

Discrepat ab hac Philosophia Morali, Jurisprudentia Naturalis, quæ est Scientia Legum Naturalium, quæ omnium hominum actiones ad Pacem & Tranquillitatem dirigunt; Tractat proīn Jurisprudentia Naturalis de Jure stricto. Ethica vero amoris quandam abundantiam & æquitatis ac honestatis copiam in sinu continet. Jus Naturæ absolvitur externæ Justitiae Regulis, Ethica vero tradit rigidæ virtutis præcepta, quæ animum subactum, quæ honestum internum exigunt; Et duæ hæ Disciplinæ partem certè consti- tuunt Philosophiæ pulcherrimam & sanctissimam; Atque hæc est ipsa J. Ctorum Philosophia vera, non affectata, non simulata, l. I. ff. de J. & J. sive ut Beyerus in Del. J. D. & Nat. inquit, *Alimonia Sapientie.*

## S. 6.

His positis manifeste patet, quod temerè Puffendorffio littem moverint plurimi DD. potissimum Theologi, eò quod asserat, Jus Naturæ ambitu hujus vitæ includi, & ultra eam se non extendere; Quod si enim Jus Naturæ nihil aliud respiciat, quam Salutem & Pacem externam, uti

A. 3.

supra.

*in proleg.  
de off. b.  
& civ. §.  
8.*

supra probavimus, evidentissimè consequitur inde; Ergo ambitu hujus Vitæ terminatur; neque ad Rhombum quid facit, quæ contra hoc assertum proferri afolet obiectio, quòd hæc ratione Jure Naturali hominibus liceat esse Comœdis, & Simulatöribus, & personatis, cùm hæc ad Philosophiam Moralem spectent & Ethica sit, quæ felicitatem & honestatem omnibus numeris absolutam requirat, non jus N.

## §. 7.

Et iisdem observationibus facile liquet, quid respondendum sit ad quæstionem illam; Num Polygamia sit contra Jus Naturæ, Thomasius post Grotium eam licitam esse defendit, & variis subinde elegantissimis argumentis probavit J. Naturæ non repugnare; qualem tamen multi in Germania Theologi jurgii causam ipsi idcirco intulerint, eumque odio suo i. e. quovis atrocissimo atrociori persecuti fuerint, constat, cùm tamen si res penitus inspiciatur Polygamia sit licita de Jure Naturæ, quia Societatis Jura illa quin destruat potius promovet.

## §. 8.

Quæritur, num Jus gentium diversum quid sit ab Jure Nat. ? si dicendum quid res, Jus N. & Jus Gent. est unum & idem Jus; sunt hæc vocabula prorsus Synonima. Jus Gent. quippe nihil aliud est quam Jus Naturæ integris gentibus applicatum uti rectissimè docet Hobbesius de Cive Cap. xiv. §. 4. id enim quod naturalis ratio inter homines constituit, & apud omnes peræque custoditur, vocatur Jus Gentium §. I. J. de J. N. G. & C. Jus hoc naturale, s. Gentium est immutabile, non humanum, sed divinum. Gentes

tes inter se sunt pares , non habent superiorem & neminem Legislatorem communem præter Deum ; Qui aliter existimant vel ignorationem Elenchi committunt , vel in Logomachias incident vel obscurissimæ disceptationi locum faciunt. Quod enim nonnulli in contrarium adducunt argumentum ; quod Jure Gentium armis venenatis adversus hostem uti non liceat & quæ sunt hujus generis , cùm tamen de Jure naturali hoc factum licitum unanimi ore affirment DD. hoc neutiquam Thesin nostram destruit , cùm Jus gentium sensu improprio híc ab patronis hujus sententiæ sumatur , & nihil aliud sit quam Pactum quod gentes sive tacitè sive expressè inter se celebrarunt , quemadmodum & impropriè sic leges fundamentales vocantur leges , cùm itidem sint Pacta inter Populum & Principem inita.

## §. 9.

De Vero & genuino Juris Naturalis Principio ardua omnino est Quæstio ; certitudo enim totius disciplinæ inde petenda est ; Piget ferè ejus rei heic mentionem injicere , cùm vix spes adsit afferri quid posse quod viam monstraret ad veritatem perveniendi inter tam varia de his Principiis judicia , & quoad hoc caput vetus Salomonis querela heic maximoperè quadret , faciendi Libros nullus est finis , & letio multa carnis est afflictio. Eccl. xii. Commate 14. vocat hic principium quod alter fundamentum ; Tertius denique quid Principii nomine venire debet nescit , hinc Logomachiæ , hinc Confusio. Clamat omnes Doctores hominem esse *ζῶον πελτικὸν* , effatus jam sic Aristoteles & tamen cùm de Principio Juris Naturæ agitur , naturam extra naturam , hominem extra hominem querunt. Sunt enim qui Principium querunt in statu integritatis , sunt alii qui ad Decalogum provocant , alii , qui legem & Evan-

& Evangelium sequuntur, & methodum hanc appellant divinam; Rursus, alii præcepta Noachica pro Norma generali venditant, alii iterum lumen aliquod fanaticum præstolantur, Consensum Gentium alii laudant; Instinctum naturalem alii obtrudunt, alii rursus legem æternam statuunt, alii in ordine & fine & convenientia Naturæ & Mundi principium ponunt; alii nominant assimilationem DEO, alii amorem DEI substituunt.

## §. IO.

Grotius, Hobbesius & Puffendorffius hac de re melius sensere, horum enim opiniones eodem recidunt, Pacem quære, socialiter & tranquillè vive, inculcant, vobis duntaxat non sensu discrepant, licet unusquisque horum DD. aliam causam s. medium terminum in mente habuerit, Grotius quippe pacis custodiam commendavit quia convenit cum Lege Scholasticorum æterna, de J. B. & P. Prolog. §. 6. Hobbesius, quia aliæ genus humanum perpetuum foret funus aut bellum omnium adversus omnes sit futurum; de Cive. c. 1. §. 2. & §. 15. Puffendorffius, quia homo ad pacem conditus est & natus, de Jur. Nat. & G. I. 2. c. 3. §. 15. Cumberland & Scharrock, Angli in eo quoque convenientur, ut homo socialiter vivere debat, sed quia non simul stabilitur Innocentia, aut cæteræ virtutes quæ per se honestæ sunt, hanc obligationem in sufficientem declarant, Scharrock de Finib. & Offic. sec. J. N. c. 2. n. 9. in fin. Ideò forte quod & hi Ethicam à Jure Naturæ & Gentium non, uti fas erat, distinxerint; imò nec Grotius ipse nec Puffendorffius inter pacem internam & externam differentiam posuerunt, unde factum ut & hi principio semel posito non semper insistant,

stunt, Grotius sanè per totum opus paucissimas quæstiones ex principio Societatis solvit, sed ex rationibus aliunde de sumtis omnia decidit, adeò ut & conjecturis plerumque satis longè petitis utatur, unde non temerè dubitare licet, nùm Grotius pro principio unico adæquato, & vero Socialitatem ponere voluerit, aut ullibi posuerit eum in finem & usum, in quem nos hodie præ oculis habemus, quando de Principio Quæstio oritur. Grotius quippe Vir fuit verè eruditus & in quovis scibili versatissimus, probabile itaque non est eum, illorum quæ in Prolegomenis summa necessitate & summo ingenio præmiserat, ita immemorem fuisse, ut ejus quod fundamenti loco toti operi substraverat tam raram vel nullam planè mentionem faciat; Fortassis statuendum esset eum non in animo habuisse tale Princium stabiliendi sed potius alia de J. N. cogitasse.

### §. II.

Cl. Barbeyrac, Vir in hac scientia maximè laudandus ipsius Juris Naturæ limites haud satis percepisse videtur, dum Princium Puffendorffianum quidem admittit, verùm illud insufficiens existimat & in causæ suæ præsidium adhuc duo alia vocat, pùtè Religionem & Amorem sui, uti hoc profert in Not. ad Puffendorffii J. N. & G. l. 2. c. 3. S. 15. n. 5. alterum enim ad honestum internum spectat, adeoque ad Ethicam pertinet, alterum pro diverso considerandi modo commodè ad socialitatem referri potest.

### §. 12.

Quando verò de principio Juris Nat. Quæstio oritur; probè tenendum est sermonem non esse de principio essendi, seu causa à qua originem leges Nat. trahunt, sed de principio cognoscendi, seu de Propositione illa prima & generaliſ-

ralissima , unde reliquæ deduci possunt. Prima verò & generalissima Jurisprud. Nat. propositio mihi hæc est : *Fac ea, qua pacem & tranquillitatem promovent, ne ad vitam cum aliis transigendam fias inutilis* ; Principium hoc est verum, adequatum & evidens ; Verum, quia homo animal est sui conservandi studiosissimum , quia extra consortium aliorum sui similium vix ac ne vix quidem subsistere potest, quia naturam suam homo conservare nequit, si perpetuò cum aliis luctetur, damnum inferat vel accipiat, principium hoc est *adæquatum* , ex hoc enim omnia officia J. N. debita evidentissimè deduci possunt , nec alia tamen præcepta quam Juris Naturalis inde fluunt , ea quippe quæ spectant virtutem internam , quietem & felicitatem , propriam emendationem , si alias homines seorsim consideres, referimus ad Ethicam. Principium hoc denique est *evidens* ; Nam & stupidissimi homines id comprehendunt & palpant, quam primùm causam considerant & effectus tristissimos sibi ante oculos ponunt ; evidenter scilicet demonstrari potest Veritas hujus principii & veritates per exactissimum ratiocinationis filum inde eliciuntur tales, quæ certitudini Mathematicæ æquipollent.

## S. 13.

Quid circa Matrimonium Jus Naturale constituat , de eo non omnes DD. convenient; Negotium hoc intricatissimum reddiderunt illustres controversiæ à Theologis , ut & Philosophis propositæ, qui in varias partes acriter disputationarunt ; & quidem ratio diversarum harum opinionum videtur esse hæc , quod plerique DD. μετάσαντις ἀλλογένους commiserint , jura divina humanis miscuerint , & Jus Naturæ à Jure positivo universalí, non distinxerint.

Vi-

Videamus nos paucis quid ratio sibi soli relicta , unicéque ad bonum & felicitatem externam societatis tendens , statuat circa hæc , ut melius postea pateat , quid Revelatio rationi superaddat.

## §. 14.

Et quidem primò observo matrimonium de Jure Nat. esse Societatem , in qua conjunctis viribus eò connituntur pacientes , ut fobolem non solùm generent , verùm etiam eam dextrè & cordatè edacent . Hæc verò cura quam de sobole gerere debent parentes . Hæc educatio non momentaneam vitæ societatem requirit , sed durantem quæ eo perfectior est , quo amor est perfectior & diuturnior , officium hoc parentibus de J. N. quām maximè incumbit , & nem tam facilè hoc præceptum homines spernerent , prima naturæ eam ad id observandum excitant . Fos enim Natura cordi humano intexuit affectus quibus exstimularetur uterque generans ad procurandam , partæ jam proli perfectissimam , quæ potest esse , Beatitudinem , ne nata pessum eat ; Atque etiam ut in transitu hoc obseruem educacionis onus tribuit parentibus imperium in Liberos . Non enim possum adstipulari Grotio , qui potestatem in liberos parentibus derivare vult ex sola generatione l. 2. c. 5. §. I. de J.B. & P. neque Hobbesio qui ex jure occupationis matri potestatem attribuit , de Cive. c. 9. n. 2. Verùm existimo solum laborem & curam quam in educandis liberi adhibent parentes , ipsis jus hoc tribuere . In viam redeo .

## §. 15.

Omnes homines tenentur inire matrimonium qui commodè possunt , multò magis ii , qui continere se nesciunt . Incundum esse Matrimonium affirmativum est præceptum .

B 2

Ergo

Ergo ad ipsius impletionem requiritur occasio , fluit hoc ex principio Juris Naturæ ; Obligatio quidem hic est imperfecta & tenetur quis solum de Justitia Attributrice ; Cùm enim hoc præceptum omnes omnino obligat , & licet forte unus vel alter nolit bonum promovere, adeoque facile alii possint supplere ; non opus videtur esse, quare singuli homines perfectè obligarentur, sed longè laudabilius certè , & magis aptum ad eliciendum amorem aliorum, & ad declarandum anorem proprium, si relinquatur pudori hominum præstatio talium officiorum, ad quæ ab altero cogi non possunt : Generanda præterea soboles proximo commoda ergo requiritur prudentia in educando & dein opes tolerandis Matrimonii oneribus sufficientes , ne quis vel mendicos vel malos det Reipublicæ , unde hanc consequentiam deduco quod quando proximo majora Commoda ex cœlibatu aliquujus proveniant , hic status præ illo sit eligendus.

## S. 16.

Quærunt DD. an Pactum Matrimoniale naturam æmuletur foederis inæqualis, in quo nimirum uxor marito Reverentiam & obseruantiam maximè, hic illi protectionem debeat ? Grotius l. 2. c. 5. §. 8. affirmat imperium marito competere naturaliter & rationem affert quia maritus uxorius caput, verùm videtur hic principium petere , cùm hoc ipsum in quæstione sit quisnam ex conjugib[us] debeat esse caput ; Parùm etiam promovent illi, qui ad præstantiam, ad excellentiam sexūs provocant ; quoniam fœminæ natura non sunt imperfectiores masculis, & præterea non talis perfectio ad imperium domesticum gubernandum requiritur , quæ omnino perfecta sit ; Ut taceam fœminas, quas totum imperium feliciter gubernasse tradunt historix . Existimarem ego potius de Jure Naturali imperium perfecta

pacta alterutri conjugi sive marito sive uxori posse acquiri.

§. 17.

Porrò ex personæ societatem conjugalem inire debent per quas generatio sobolis obtineri potest; facultas hæc Physica absolutè adesse debet; sed queritur ulterius, num facultas quoque moralis etiam ad id requiratur? seu numerantur gradus I. N. prohibiti, intra quos matrimonium contrahere nefas sit? DD. hic varia cōmminiscuntur, & hanc Quæstionem, ut Grotii verbis utar, non raro magnis motibus agitârunt; Sunt qui ejusmodi conjunctiones Juri Naturali repugnare ideo dicunt, quod omnes gentes vel saltem moratores eas nefandas existimârint; & ob universalē hunc effectum, sc. opinionēm populorum ad universalem causam putâ Rationem, quæ injusta hæc pronunciat, concludunt. Verū enim verò hoc ex consensu Gentium defumptum argumentum non adeò firmo, uti vulgo tamen creditur, stat talo, ii enim qui tale quid affirmant contingere apud Gentes, sunt Philosophi, Poëtæ, Oratores, Historici & nulla proin' ratio erit, quare horum Consensus Causæ universali adscribendus sit, i. e. quod singuli ex illo populo sic senserint & dein populi perpetuo Commerciorum usu & Vitæ quedam & morum cōvenientia facile tacito consenserint in quasdam conditiones transire potuerunt; cui accedit & illud quod hæc quæstio sit juris adeoque factis hic neutrāquā certare liceat.

§. 18.

Sunt alii qui simpliciter conjunctiones ejusmodi nefandas pronunciant, quia naturalis pudor obstat. Abhorrent inquietunt illi, humani affectus, ne coeas cum illa quæ tib.

vel nimia Consanguinitate vel Affinitate est conjuncta. Sed hoc iterum postulant precariò , in sensibus enim nihil deprehenditur tali commixtioni repugnans ; Verùm si quid est , provenit certè hoc ex educatione , & præterea constat dari plurimos extremè libidinosos & impudentes : Quod Grotius ex Plutarcho adducit argumentum de latius spargendis amicitiis , si quis cum aliis personis sanguine sibi non junctis ineat matrimonium probat , quidem utilius esse , licet & hoc aliquando fortè negari possit , sed non prohibitionem demonstrat ; Verùm à τῷ minus utile ad τῷ prohibitum argumentari haud licet.

### §. 19.

Grotius modò laudatus difficile imò impossibile esse affirmat assignare causas certas & naturales quare Conjugia talia non sint licita , & solùm ab hac Generalitate . l. 2. c. 5. §. 12. n. 2. exiit , Conjugia Parentum cujuscunque gradus cum liberis & quidem propter læsionem Reverentiarum quam Liberi Parentibus debent ; Verùm & hæc ratio nullius ponderis est cum quilibet beneficio suo , hoc in casu honori ab altero sibi præstando , renunciare possit , hæc ratio quoque in conjugio parentis , (quicquid dicat) cum filia cessat ; Dicendum heic potius quod impossibile sanè sit rationem certam & naturalem tradere , quæ modo irresistibili demonstret incestum Juri Naturali adversari . Notanter dico Juri Naturali , i. e. Paci & Tranquillitati externæ ; secus enim si quæstio esset , num hujusmodi Conjunctiones repugnant castitati , & pudori , quatenus per pudorem intelligatur indecentia ; Quod autem virtuti adversatur , licitum censeri non debet , Deus quippe non solummodò vult ut simus justi & externè tranquilli , sed etiam ut affectibus immoderatis nos liberemus ; Jus divinum positivum universale hæc magis

magis determinavit, & Rationi, quæ hac in-re fluctuatur subvenit.

§. 20.

Aliud verò videtur statuendum de Adulterio, ibi enim pactum de non violanda fide conjugali læditur, pactum autem violare est contra Jus Naturale peccare, sed quid? Si nullum tale pactum adsit? vel etiam quod magis stringit, pactum militet in contrarium, putâ alterutrum conjugem per Conventionem consentire, ut alter corporis sui copiam alii faciat; Illustris Thomasius in Jur. Divin. lib. 3. c. 2. §. 218. existimat quod difficillimum sit Turpitudinem hujus facti demonstrare ex ea Disciplina ubi solam rationem sequimur ducem: Sanè, ait ille, qui libet Juri suo ex pacto q̄esito renunciare poterit, n̄i obſtet præceptum superius, quod in ratione fruſtra queritur; Verūm pace hæc Tanti Viri dicta fuit; Obſtat profectò hoc in Casu præceptum superius, atque hoc non aliunde petimus quam ex Ratione; Ratio postulat, ut unusquisque Societatis bonum promoveat quantum in viribus, & damnum avertat; Repugnat verò talia pacta è Diametro utilitati publicæ quæ si ne dubio in eo consistit, ut Educationem liberis dextram & cordatam impertiantur Parentes: Quomodo verò talis educatione, quæ foret magis pacitia, feliciter peragi possit, ipse viderit. Adde quod hæc res foret pessimi exempli, communionem conjugum, per consequens, monstroſam Platōnis Rempublicam constitueret talis Licentia, unde infinita postinodum mala propullarent.

§. 21.

Scitè admodum, & ingeniōſissimè observat præstantissimus

mus Disciplinæ Moralis Magister, Dominus de la Bruyere in  
 Libro cui Titulum præfixit Les Caractères de Théophraste  
 avec les mœurs de ce siècle Tom. I. p. m. 378. ed. Amst. de  
 Ao. 1720. nihil absurdius & magis ridiculum excogitari  
 posse, quām receptam nonnullorum, qui de specioso Erudi-  
 torum titulo tantoperè sibi gratulantur, methodum; quam  
 sive Oratoris, sive Philosophi, sive Disputantis, sive Oppo-  
 nentis viciis defungantur, affectant in eo, quod maxi-  
 mum Crimen incurrere sibi viderentur tales, quando vel uni-  
 cum verbulum absque auctoritate proferrent; Hi sunt qui  
 solummodo post Philosophorum principem affirmare audent  
 vini nimiam quantitatem haustam inebriare & demum cum  
 Eloquentiæ Parente asserunt. Vinum aquâ temperari; Imò  
 quando de rebus Moralibus sermo ipsis est, Vitium fugien-  
 dum esse divinus Plato apud eos statuit, non isti; cogitationes  
 nempe quām maximè triviales deberi contendunt Epicte-  
 to, Arriano, Minucio Fe'lici & aliis; Monendi tales, ne  
 oleum & operam diutius in adducenda tanta auctoritatum  
 copia perdant, quia & aliquando injurii esse possunt  
 in antiquitatem, quæ ipsis adeò est veneranda, cum sacerdissi-  
 mè verba in sensum ab authoris mente alienum detorqueant  
 & præterea fortè hi ipsis longè felicius quām Veteres  
 de ista materia meditari possint.

F I N I S.

---

*Dies Lect. 10. Novemb. h. 2. p.m.*





